



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

LXV. An, & quis contrahat pœnam excommunicationis Pontifici reseruatae,
& priuationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum suorum, &
inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda in dicto Motu ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

ex hoc sequitur, quod appellatione superiorum non veniant postea in dicto motu etiam femina; & cur.

DVBITATIO LXV.

An, & quis contrahat poenam excommunicationis Pontifici reservatam, & privationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum suorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda in dicto Motu Gregorij XIII. impositam iis, qui ex facultate Episcopi, vel superiorum (quorum est illa concedere) absque necessitate ingrediuntur, & Monialibus, quæ eos aliter admittere præsumunt?

S V M M A R I V M.

1. Poena dicti motus Gregorij XIII. à quibusnam contrahitur.
2. Poena dicti motus non contrahitur ab ingredientibus absque illa superioris licentia; vel non innitendo illi; secus est cum licentia; quæ etiam sit ex causa urgenti concessa; si tempore ingressus cessavit causa.
3. Dispensatio cessat cessante omnino causa dispensationis.
4. Poena dicti motus non contrahitur ab eo, qui tempore licentia non habebat iustam causam ingressus; si iusta causa tempore ingressus supervenit.
5. Motus prædictus Gregorij XIII. parum curat in his penis valorem licentia; sed solum plectit his penis eum, qui ingreditur absque causa necessitatis vivente licentia dictorum superiorum.
6. Ingredients modo prædicto contrahit secundum probabiliorum opinionem saltem excommunicationem Tridentinam non reservatam.
7. Concilium Tridentinum ad licitum ingressum præter causam necessariam requirit etiam licentiam.
8. Moniales præsumentes admittere in sua Monasteria ingredientes prædictos respectu facultatum contrahunt easdem penas.
9. Prælati siue saculares, siue Regulares dantes prædictam licentiam sine iusta causa, vel postea admitcentes non contrahunt easdem penas.

Respondetur, & dico primò, has penas contrahunt omnes, & quæcumque personæ, siue Ecclesiasticæ, siue sæculares, cuiuscumque ordinis, quæ prætextu licentiarum concessarum ab Episcopis, vel legitimis superioribus, (qui ex solis causis necessitatis eam concedere possunt) Monasteria Monialium extra casum necessitatis ingrediuntur. Patet ex contextu.

Hinc eas non contrahunt, quando ingrediuntur absque illa superioris licentia; vel non innitendo illi, iuxta ea, quæ dicebam dub. 8. contrahunt tamen eas (licet licentia sit ex causa urgenti concessa) si tempore ingressus cessavit causa; quia dictus Motus Gregorij XIII. his penis subicit ingredientes ex licentia; quando is absque causa urgenti ingreditur; & non dicit, quando nulla fuit causa concessionis ingressus: at reuera hic absque causa ingreditur, cum illa tempore ingressus iam cessavit; tum quia cessante omnino causa dispensationis, cessat dispensatio, quia in cap. periculoso, de statu Regular. dicitur:

Z z Nijß

1. Respondetur, ex probabiliori sententia Doctorum, venire etiam feminam; quia in Canon. si quis suadente diabolo, venit etiam femina; ergo sic & in casu nostro. Et ratio ulterius est, quia
2. contra Decium in loco infra citando, & Salas de legib. disp. 21. sect. 3. vers. 12. in legum dispositione, etiam in materia odiosa, & penali, sub masculino comprehenditur femininum. Doctores, quos citat (et si non sequatur) Decius regul. famina, numero 110. ff. de reg. iur. & Doctores, quos refert, & sequitur Tiraquell. de retractu lignagier, §. 1. gloss. 6. numero 121. & Menoch. de adipisc. possess. remed. 4. numero 61. & sequentibus. Ergo multò magis in casu nostro, cum in casu nostro materia non sit totaliter odiosa, vtpotè tendens ad vitanda peccata, & concernens salutem animarum; sic Archidiaconus in cap. periculoso, de statu Regular. in 6. numero 1. Ioan. Andri. ibid. numero 2. Ancharan. numero 2. notab. 3. Dominic. numero 7. Francus numero 4. notab. 6. & alij. Vide tamen Rodrig. tom. 1. qq. Regular. quest. 47. art. 3. in fin. & quæ dicuntur infra dub. 76.
4. Confirmatur, quia ly quemquam cadit super personas in præcedentibus expressas: at in præcedentibus sermo erat non solum de viris, sed etiam de feminis in Monasteria Monialium ingredientibus; ergo, &c.
5. Confirmatur secundò, quia dictus Motus prohibet ingredi, etiam feminam: ergo signum est, quod prohibeat permissionem ingressus, etiam feminæ.
6. Confirmatur tertio, quia idem Motus loquitur de ingressu in Monasteria tam virorum, quam mulierum (prohibet etiam tam Abbatissis, quam Abbatibus, ne in Monasteria sua quemquam prætextu huiusmodi licentiarum ingredi faciant, vel permittant.) At multò indecentior est ingressus mulierum in Monasteria virorum, quam ingressus virorum in Monasteria mulierum (cum hic sapientissime sit necessarius, ille verò, vix aut nunquam:) ergo, &c.
7. Obiicies, Motus Gregorij XIII. volens comprehendere superiores viriisque sexus, id expressit his verbis: Abbatissis vero, necnon Abbatibus, Conventibus, ac aliis Monasteriorum viriisque sexus Superioribus. Nec satis censuit dicere, Superioribus (quæ vox est generis masculini) sed addidit, viriisque sexus, non obstante, quod præmiserit ly Abbatissis, necnon Abbatibus: ergo cum postea loquens de personis, solo genere masculino usus sit, ibi: Ne in Monasteria sua quemquam prætextu huiusmodi licentiarum ingredi faciant, vel permittant, signum est, quod feminam non comprehendat.

Respondetur, nego consequentiam, quia id, quod fecit Pontifex, loquendo de Superioribus, sic expressè fecit ad maiorem cautelam, quod inde patet, quia bis expressit, cum exprimi satis, superque sufficisset semel.

Nisi rationalis, & manifesta causa existat: qui textus innouatur in Concilio Trid. *sess. 25. cap. 5.*

4 Quamvis non contrahant eas, quando tempore licentiæ non erat iusta causa ingressus, si iusta causa erat tempore ingressus, quia iam non ingrediuntur extra casum necessitatis: & licet ea licentia sit irrita, 5 vt mox *infra* dicetur, Motus tamen dictus Gregorij XIII. (vt patet ex contextu) parum curat in his pœnis valorem licentiæ, sed solum plectit his pœnis eum, qui ingreditur absque casu necessitatis virtute licentiæ dictorum superiorum; hic verò ingreditur in casu necessitatis, seu ex causa necessaria, quam summus Pontifex subesse vult tempore ingressus: ergo, &c. Vide Suarez *tom. 5. in 3. part. disp. 22. sect. 6. num. 14.* & Bonacinam *de claus. quest. 4. punct. 5. num. 10.*

6 An autem talis ingrediens contrahat saltem excommunicationem Tridentini non reseruatum, de qua dixi *dub. 53. 54. & 55.*

Respondetur, quod (quamvis videatur negandum, quia reuera ingreditur ex superioris licentia, & in casu necessitatis) tamen probabilius affirmetur, quia cum illa licentia extra casum necessitatis (vt potè sine causa tunc existente concessa) fuerit inualida, & causa superueniens (cum ex ipsa non sit ea concessa) non faciat eam validam, hic ingressus videtur sine licentia, atque adeo Tridentini excommunicationi subiaceret, cum Tridentinum ad licitum ingressum præter causam necessariam requiratur etiam licentiam. Vide Bonacinam *loco supra cit. & punct. 4. num. 20.*

8 Dico secundò, easdem pœnas contrahunt Moniales, quæ hos ingredientes prætextu dictarum licentiarum admittere in Monasteria præsumunt; patet etiam ex contextu. Vide *cit. dub. 53. 54. & 55.*

9 Dico tertio, easdem pœnas tamen non contrahunt Prælati, siue sæculares, siue Regulares, dantes prædictam licentiam sine iusta causa, vel postea admittentes, quia hæc imponuntur solis Monialibus, & nulla hic imponitur pœna dantibus illius licentiam sine iusta causa, neque postea admittentibus, & merito, cum maior, & magis culpabilis causa ingressus sit dando licentiam, quam solum postea admittendo.

DVBITATIO LXVI.

An veniat nomine Monialium Abbatissa in pœnis Motus Gregorij XIII. iam *suprà dubit. præcedenti* dictis?

SUMMARIUM.

- 1 Abbatissa non venit secundum probabilem opinionem nomine Monialium in motu Gregorij XIII.
- 2 Abbas in materia odiosa, & pœnali non venit nomine Monachorum.
- 3 Abbatissa secundum probabiliorum opinionem venit nomine Monialium in motu Gregorij XIII.
- 4 Abbas venit nomine Monachorum quando materia, vt potè in casu nostro, non est totaliter odiosa.
- 5 Item quando materia est pariter proportionabilis Prælato, & subditis.
- 6 Item quando ex statuentis mente coniicitur, velle eos comprehendere.

Respondetur, quod (licet probabiliter negetur, quia quoad dictas pœnas nulla mentio fit de Abbatissa, sed solum de Monialibus in genere, ibi: *Néve Moniales sub eisdem pœnis aliter admittere præsumant*, & in materia odiosa, & pœnali, sicuti nomine Monachorum non venit Abbas, ita nomine Monialium non venit Abbatissa, Doctores communiter in *cap. fin. de simonia*, & Armilla *verb. Abbas, numero 11. Nauarr. lib. 5. consil. tit. de Regul. Mandosius de privileg. gloss. 7. numero 28.* & confirmatur, quia idem Motus Gregorij XIII. quando voluit comprehendere Abbatissas, eas explicuit) tamen probabilius affirmatur, quia licet quando materia est odiosa, & pœnalis nomine Monachorum non veniat Abbas, nec nomine Monialium veniat Abbatissa (quamvis id nonnulli simpliciter negent, vt Francus *rubr. de testam. in 6. numero 65.* & Aliatus *conf. 163. numero 3. lib. 5.*) venit tamen quando materia (qualis est in casu nostro, vt potè concernens salutem animarum, vt *suprà* dicebam) non est totaliter odiosa, Archidiaconus in *cap. periculo, de statu Regul. in 6. num. 1.* Ioan. Andr. *ibid. numero 2.* Ancharan. *numero 2. notab. 3.* Dominicus *numero 7.* & Francus *num. 4. notab. 6.* Item quando materia est pariter proportionabilis Prælato, & subditis. Abb. in *Clement. 2. de procurator. numero 2.* Mandosius *locis supra cit. & Francus cap. 2. in princip. numero 5. ne clerici, vel Monachi.* Item quando ex statuentis mente coniicitur, velle eos comprehendere. Doctores *suprà cit.* præcipue Mandosius *cit. numero 28.* vt est in casu nostro, quia non est verisimile, voluisse Pontificem punire Moniales subditas (quibus non incumbit expellere) & non punire Abbatissam, cui id competit ex officio, & sic admittendo magis delinquit. Vide quæ dicebantur *cap. 14. sect. 5. num. 7.*

DVBITATIO LXVII.

An, & quid veniat nomine admissionis in Monasteria virtute licentiarum, cui admissioni pœnæ Motus Gregorij XIII. in *dubit. 54.* dictæ imponuntur?

SUMMARIUM.

- 1 Nomine admissionis in Monasteria virtute licentiarum venit cooperatio tantum, siue directa, siue indirecta ad ingressum, quatenus scilicet quis exercet actionem positivam, vel negativè se habet ad ingressum, quem impedire tenetur ex officio.
- 2 Monialis, si ad ipsam non spectet impedire ex officio, verbi gratia cum non sit Prælata Monasterij, nec præsit porta custodienda, non incurrit pœnas dicti motus Gregorij XIII. secus si ingredienti ianuam aperiat, consulat, inbeat, vel mandet, aut si manu trahat, inuitet, & aliquo alio modo positivo faciat quempiam ingredi.
- 3 Monialis qualiscumque illa sit, si mandet, vel consulat ingressum persone, qua ingreditur, contrahit dictas pœnas.
- 4 Monialis, si non mandet, vel consulat ingressum persone, qua ingreditur, sed alteri, contrahit etiam dictas pœnas si tenebatur ex officio impedire ingressum: at contra si non tenebatur ex officio.

4 Monialis